

† R. P. Achilleus Fiset (1860-1934)

(*Prov. Can. S. Annae*)

Die 12 Iulii h. a. in pace Christi quievit egregius sodalis Provinciae Canadensis S. Annae, veteranus miles optime meritus, cuius vitae facta principalia in foliolo in defuncti memoriam typis impresso ita comprehenduntur:



Natus in Montmagny ad flumen S. Laurentii 26 Oct. 1860.¹

Ordinatus sacerdos 13 Iun. 1886.

Admissus ad professionem religiosam 7 Oct. 1894.

Rector domus Marianopolitanae (*Montréal*) Hoche-
laga 1904-1907.

Visitor (Vice-Provincialis) 1907-1910².

Rector collegii Marianopolitani ad S. Alfonsi 1915-1921.

Rector collegii Sherbrooke 1921-1927.

Minister domus studiorum Ottawa 1927-1934.

« Sunt matres, quibus sacerdotis est anima, quam ipsae cum filiis communicant », scribit Renatus Bazin. Talis fuit mater Achillei nostri eiusque fratris iunioris Ludovici Napoleonis, postea parochi in Dorchester ad S. Henedinae et mense Iulio 1933 vita defuncti. Ambo pietatem illam, quam in domo paterna pleno ore hauserant, usque ad vitae exitum fideliter servarunt.

¹ Securius forte creditur officiali Congregationis Catalogo, qui diem 29 Octobris diem natalem assignat.

² Ergo minus recte in *Analectis* X (1831), 216 dicitur Patrem Lemieux iam a. 1909 denuo renuntiatum esse Superiorem Vice-Provinciae Canadensis.

Achilleus puer 15 annorum ingressus est Seminarium Quebecense et post ordinationem sacerdotalem quoque ibi per quinquennium remansit, praeceptor classis quintae. Secutum est biennium immediate animarum curae dicatum in paroecia S. Alfonsi in Thotford. Sed iuvenis vicarius ad perfectiora aspirabat, quanquam nescimus, quid proprie eum ad Alfonsianam familiam attraxerit. Ab Eñno Cardinali Taschereau suam ex archidioecesi dimissionem petens, eius resistantiam quasi ictu fregit aiens se ad patrimonii titulum ordinatum et a Provinciali Redemptoristarum iam formaliter admissum esse.

Facta oblatione P. Fiset operi apostolico destinabatur; quod quo spiritu inde ab initio exsecutus sit, diserte indicant verba prophetae, quae ipse primo sermonum fasciculo inscripsit, et quae in omnem missionarium divinae suae missionis consciunt quadrant: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel; et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si, dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti*¹.

P. Fiset orationes suas missionales omnes magna perspicuitate dispositas collegit quattuor libellis, quos exinde in sacris suis expeditionibus comites inseparabiles habuit. Audiebatur sine defatigatione et in sacro suggestu potius persuadere et movere studebat quam placere. Quandoque minus gratum erat quod iusto longius dicebat vel nimis saepe divisione illa audientium in viros, mulieres, iuvenes, virgines utebatur. Negari tamen nequit eloquentiam eius fuisse semper sinceram et divino amore inflammatam. Accidit etiam ut viri eius apostolicis vituperationibus usque ad fletum commoverentur.

Missionarius noster amabat confessionale, et fideles, praesertim masculini sexus, amabant hunc bonum confessarium, qui *in spiritu lenitatis* instruebat et exhortabatur et, si quando opus erat, reprehendebat.

Primam suam missionem praedicavit mense Decembri 1896 et Martio 1933 ducentesimam septuagesimam quartam. Numerus certe fuisset longe maior, nisi P. Fiset per 23 annos continuos Superioris munus exercere debuisset, prima vice iam decimo post emissa vota anno. Triennio etiam totam Vice-Provinciam gubernavit, quo scilicet tempore cl. P. Alfonso Lemieux novum germen studentatus Ottaviensis fovendum erat.

P. Fiset, etsi extraordinariis ingenii dotibus non fulgens, semper et ubique fuit *fidelis servus et prudens, forma gregis ex animo*, omnes aedificans modestia, humilitate, amore paupertatis, observantia regulari, omnes

¹ Ez. 3, 17-19.

alliciens inexhausta bonitate et affabilitate ac perpetua quadam hilaritate. « Bonus P. Fiset » quasi fixa locutio evasit.

Pietatem eius singularem iam supra laudavimus. Semper secum portabat et fidelissime usurpabat quendam libellum precum, quarum plurimas ipse manu propria scripserat. Cotidie h. 4,15 pomeridiana eum videbamus ad sacellum accedentem et admirabili ardore pietatis amicum velis eucharisticus tectum salutantem.

Etiam senex animum servavit iuvenis, et iuventus nostra in domo studentatus libentissime huius amabilis senis, quasi semper dulce ridentis, ministerio sacro consiliisque utebatur.

Animi sui hilaritate et alaeritate tegere sciebat adversitates et infirmitates plurimas, quibus gravabatur. Plus una laborabat hernia, et post casum infelicem in genu rotulam argenteam portabat. Superiore hieme morbus lethalis eum corripuerat, unde tamen cum omnium stupore tantum convaluit, ut denuo Missam celebraret, confessionem exciperet, immo verbum Dei annuntiaret et oeconomi officium susciperet. Antea in cellae solitudine Bollandistae eius deliciae fuerant, sicuti iam semper Ecclesiae historia.

Ultimam infirmitatem, nova hernia novoque casu effectam, vera laetitia spirituali sustinuit, unde quasi transfiguratus apparebat, etiam post obitum. Iam in agonia positus identidem murmurabat: « Pater noster... Kyrie eleison... Orate! » Morte secuta clare apparebat, quanti bonus P. Fiset ab omnibus aestimaretur. Exmī viri, Delegatus Apostolicus Canadae et Archiepiscopus Ottaviensis, venerunt ad corpus emortuum oraturi. Exsequiis aderant duo Vicarii Generales archidioeceseos, cum ipse Archiepiscopus impediretur, complures Canonici, sacerdotes, religiosi, religiosae multi.

Provincia S. Annae dolet amissum senem carissimum, simul vero solacium capit non parvum cogitans de tantorum meritorum praemio nunquam perituro. *In memoria aeterna erit iustus*¹.